




# PRÆFATIO.

## LECTORI BENEVOLO SALUTEM.



Nihil in omni re literaria laboriosius est , quam Genealogicum Studium , quod magnam in conquirendis antiquis monumentis requirit industriam , adhæc , non mediocrem historia- rum cognitionem & denique , quod omnium primum est , in promerenda apud doctos fide , sinceræ & solidæ veritatis curam. Non enim satis est pro lubitu adferre nomina undecunq̃ congesta , sed singula requirunt probationes per authentica instrumenta , vel ad minimum per veterum Authorum de adulatione non Sus- pectorum clara testimonia. Quamobrem nonnullis ætatis nostræ Genealogicis Scriptoribus consultius fuisset , ab omni opere , quam adeo multa sine Consule , sine Prætore , quod ajunt , alleverare.

Mihi quidem in animum nunc non venit , Genealogias so- lidas conscribere , qui labor à me alienissimus semper fuit. Sed cum in promptu habuerim , Collectanea Genealogica ex Ar- chivo Instructissimo Inclytorum Austriæ Inferioris Statuum , quod prope Quater Mille Documenta in Membranis exarata complectitur , desumpta , missis Familiis , jam fato suo functis , ad illas solum animum appuli , quæ hodiernum superstites florent. Collegi itaque ea omnia , quæ de illis memoriæ prodita erant , relicturus jam peritioribus laborem , integras justasque Geneles collatis his fragmentis cum aliis Gentium illarum monumentis , contexendi.

Interea hæc qualiacunque fortasse alicui usui erunt , ad Fa- miliaram hoc opusculo contentarum notitiam consequendam.



Scio tabulariorum in antiquioribus chartis magnam sæpe esse ir-  
 opiam, propterea vel ex eo capite gratiora fore hæc mihi pol-  
 liceor, quod omnia vel publica Archivi vel aliorum Documen-  
 torum Originalium quæ sæpe integra exhibui, non contemnen-  
 dâ fide nitantur. Quibus enim usus sim adminiculis, in singu-  
 lis etiam minutissimis memoratur & Lector unde hauserim eru-  
 ditur. Veteres Stirpium traditiones vero, aliaque minus certa,  
 ideo non curavi, ne mihi alioquin cum Summis Viris dicendum  
 dolendumque sit: *Plura transcribo quam credo, nec adfirmare  
 sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi.*

In recensendis autem Familiis nullum prorsus ordinem ser-  
 vavi, ne quis sentiat, me de *proedpias* Juribus inter Stirpes sollici-  
 tum fuisse, aut circa antiquitatem, dignitatemque Earum arbi-  
 trium interposuisse.

Sigilla, quæ veteres documentis suis appendere soliti sunt,  
 æri incisa, exhiberi curavi, quæ forte non parum scutarias Illu-  
 strium Prælapiarum tesseras illustrabunt.

Tandem Mantissæ loco de Officialibus Provinciarum qua-  
 rundam Austriacarum Hæreditariis, quibus nimirum AUSTRIA  
 utraq; STYRIA, CARINTHIA, CARNIOLA, TYRO-  
 LIS, GORITIAque ab antiquo gloriantur, adjectis non ra-  
 ro diplomatibus integris, commentatus sum, quæ suo usu non  
 omnino carebunt.

His itaque per otium & relaxationem animi à publicis curis;  
 absque Lege & Ordine collectis, utere, Mi Lector, si placent,  
 sin minus, boni tamen consule, æternumque Vale.

